

modum: quod ipsi ex induccione nobilium virorum magistrorum Georgij filij Petri de Dombo, Stephani filij Petri de Bochka, et aliorum, pro pace inter eos fienda laborancium, taliter concordassent & ad perpetue pacis vnionem deuenissent, vt tam premissam causam inter eos motam et habitam, quam eciam alias vniuersas et singulas, hactenus inter eos et prefatum condam Martinum Banum exortas et suscitatas, tamquam sopitas et cassatas, condescendere fecissent, seque alternatim et mutua vicissitudine, superinde expeditos et modis omnibus absolutos reddidissent: cunctas et singulas causales litteras, vbilibet sub quibusuis verborum formis alterutrum confectas, inanes, friuolasque, et exhibitoribus nocituias relinquendo, ymo concordarunt, supersedere fecerunt, cassarunt, & mortificarunt coram nobis, hys articulis moderaminum specificie adiectis, quod ipsi Georgius, Ders et Petrus filij, nec non nobilis domina Anna, relicta prefati Martini Bani, ipsorumque heredes et posteritates vniuersi, prescriptos Eliam Comitem terrestrem, aliosque prediales, in superioribus nominatim conscriptos, et eis succedentes semper temporibus successiuis, perpetuis in illa eorum libertatis prerogativa et gracia, quibus priores eorum, et per consequens ipsi ante tempus prescripte donacionis, ipsi Martino Bano facte, freti fuissent et gauisi, inmutabiliter et inconcusse conseruare tenebuntur, nullamque nouitatem, vltra dictam libertatem, super eos et eorum posteros facere et immutare valebunt. Et quod ipsi prediales et cuncti eis succedentes, ipsis filiis, et relicte Martini Bani, eorumque heredibus sicuti eorum ueris et naturalibus dominis, semper obedire, ipsosque uereri, seruiaciaque et dacia ac collectas debitas, sicuti alias, dum sub manu et potestate regie maiestatis fuissent constituti, fecissent et exercuissent, locis et temporibus ingruentibus, eis dare, amministrare, facere et exhibere obligati haberentur. Sic et eo modo, vt per tempora euiterna, in quolibet anno, quilibet ex ipsis puta predialibus, de predio suo sibi subiecto, quantecunque quantitates existerent, in quolibet die festiuitatis beati Georgij Martyris, singulas duas pensas denariorum noue monete, deinde uero secundario in qualibet die festiuitatis beati Martini Confessoris, ipsi omnesque prediales communiter et indiuisi, septem marcas computi regni Sclauonie, pro qualibet scilicet marca duos florenos nouos computando, prefatis filiis et relicte Martini Bani in heredum heredes, pro collecta dare et soluere tenebuntur; ceterum, quia ipsi prediales regali vel reginali maiestati, dum vltra Drauam in regnum Sclauonie subintrassent, iuxta ritum antiquum victualia dare fuissent astricti, idcirco ipsa regalis uel reginalis maiestas, quandocunque et quocienscunque illuc in ipsum regnum Sclauonie accederent, huiusmodi uictualia semper, tociens quociens hoc eueniret, non ipsis regali aut reginali maiestati, sed precise ipsis filiis et relicte Martini Bani, aut eorum posteris, tanquam eorum dominis, dare et amministrare debebunt; nichilominus autem, sicut ab antiquo fuisset consuetum, ipsi prediales pro faciendo Iudicio in villa Keresthur, sedem Iudiciariam habebunt, eo modo, quod ex parte ipsorum predialium Comes terrestris eorum, ex parte uero prefatorum filiorum et relicte Martini Bani, uel heredum eorum, Comes uel officialis eorum, pro tempore constituti, ibi in dicta Keresthur, sede Iudiciaria, pro ipso Iudicio faciendo simul et ad inuicem, non uero diuisim consedebunt, causantibusque et querulantibus Iudicium facient, de quo quidem Iudicio ipsorum amborum Comitum, si ipsi litigantes contentabuntur, bene quidem, alioquin sicut solitum fuisset, huiusmodi Iudicium et eius examen per partem, que uellet, in Crisium ad sedem Iudiciariam Nobilium ipsius regni Sclauonie pro ha-